

I. N. J. C.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

DE

# PERSONATA FELICITATE CIVILI,

Cujus

PARTEM PRIOREM,

*Consensu Amplissimi SENATUS Philosophici  
in illustri ad Auram Atheneo,*

PRÆSIDE

MAG. JOHANN E  
BILMARK,

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORDIN.

*Publico examini, qua par est, modestia subjicit*

ABRAHAMUS MIÖDH,

AUSTRO-FINLANDUS.

IN AUDITORIO MAJORI DIE XXIII. JUNII  
ANNI MDCCCLXVII.

H. A. M. C.

---

ABOË, Impressit JOH. C. FRENCKELL.

DISSESTITIO PHILOSOPHICA  
DE  
PERSONA  
ETATI  
HUMANI

Mon esprit peut bien se tromper, mais mon coeur  
est trop ennemi de la tyramie pour soutenir des senti-  
mens, qui seroient contraires à l'humanité.

ESSAI DE POLITIQUE & DE MORALE CALCULÉE.



D. D.

§. I.

**S**i hominem, sibi soli inde a nativitate relictum, consideremus, statim nobis occurrit imago illius status, quem naturalem appellare solent Eruditi. Multis quidem hæc arrisit conditio, propterea quod homines in hoc statu ab aliorum imperio fuerint immunes, & singuli ex suo vixerint arbitrio. Sed hi fere sunt, qui externa tantum specie delectantur, nec justa mentis trutina momenta quævis status hujus expendunt. Fatemur omnino, quod DEus hominem liberum considerit; sed tam ratio quam experientia ipsum satis docuerunt, nullam quietem, nullam securitatem, immo nec libertatem ullam futuram, si quisque sui esset juris, suasque cupiditates ferociter sequeretur. Vitam enim segregem degentes mortales, notitia plenarumque rerum, quæ ad usum vitæ pertinent, de-

A

stitue-

stituebantur; quippe quum nec eas ipsi compa-  
rare, nec ab aliis mutuo accipere potuerint. Idem  
porro præsidia quævis desiderabant, quæ ad commo-  
ditatem & securitatem spectant: illis etiam infelicio-  
res, qui vel naufragio, vel per vim aliorum nudi,  
egeni, atque omni instrumento destituti in deser-  
tam atque incultam ejiciuntur insulam; siquidem  
naturæ defectus ne ingenio quidem supplere queant.  
Giscit tamen in horum præcordiis satis vehemens  
cupo, ex hoc miseriarum barathro emergendi, &  
ad felicitatem, a qua se alienissimos sentiunt, quan-  
tocyus perveniendi. Sed in hoc rursus studio varia,  
eademque gravissima, experiuntur impedimenta, &  
sicut sperata utilitas homines ad animorum &  
viriū conjunctionem sollicitat, ita explorata indolis  
humanæ pravitas, qua sibi invicem mala quævis  
intentare gaudent, eosdem valde separat. Hos ita  
in ancipiti hærentes ipsa necessitas sensim conjun-  
xit, quæ imminentia quotidie pericula tam a feris  
animantibus, quam ab hominibus, si solitariam de-  
gerent vitam, & contra ea desideratam securitatem  
ac liquidam felicitatem, si vires fideliter conunge-  
rent, proposuit: quibus vero societibus formandis  
primum fundamentum posuisse videntur matrimo-  
nia, in quæ homines per naturam admodum ferun-  
tur. Hac igitur ratione plures in unum convene-  
runt, atque voluntatum suarum arbitria vel unius  
vel quorundam prudentibus consiliis periniserunt,  
indulta ipsis potestate, ea decernendi atque impe-  
randi, quæ ad conservationem & florem societatis  
per-

pertinerent. Et sic ortus fuit Status Civilis, tanto felicior præ Naturali habendus, quod quisque alterum non amplius ut invidum hostem, sed potius ut beneficium adjutorem & felicitatis promotorem respiceret, & in quo statu quisque quod æquum, quod justum, & quod bonum esset, libere agere posset, poenæ autem, scelerum magnitudini proportionatæ, maleferiatos e vestigio comitarentur. Quanta denique sit Status Civilis præstantia, quisque facile animadvertisit; ut vero ejusdem necessitatem veteres experientur Persæ, apud illos statutum legimus, ut cum Rex e vita excesisset, cives per quinque deinceps dies libere & ab omni lege soluti vivarent, ut re ipsa discerent: ἡλικον κακον ισιν η αριστα, τραφαγας και αεταγας και ει τι χειρον ισιν, επαγγελα, id est: quantum malum adferat defectus legum & imperii, cædes, rapinas & si quid his deterius introducens, ut essent Regum custodes fideliores (a). Omnes autem hos dies non solum nefastos putarunt, sed etiam, si occasio firret, carissimos penates, dum sæva hæc debaccharetur tempestas, quantocuyus deseruerunt, in alienis terris salutem & præsidium quærentes.

(a) Vid. SEXT. EMPIRICUM adversus Mathemat. Lib. II.

## §. II.

Vidimus modo, homines in Statum Civilem propterea commigrasse, ut squalorem Status Naturalis sensim eluctarentur, & ad felicitatem civilem, quæ tanquam centrum est, ad quod eorum colligent

neant desideria, pervenirent. Ne autem nubem pro Junone amplecterentur, tria imprimis momenta, quibus vera absolvitur felicitas civilis, sibi proposita habuerunt, scilicet ut securitatem & opulentiam consequerentur, nec non tantum libertatis, quantum sine dispendio salutis publicæ fieri posset, sibi reservarent. Hoc enim trinum ita est perfectum, ut, uno demto, cetera vim suam amisisse videantur. Quid enim prodest civi, si securitate & libertate quidem fruatur, sed omnibus tamen destituatur, quæ ad vitam sustentandam requirantur, vel si quotidianis, eisdemque durissimis, laboribus tantum solummodo sibi comparare queat, quantum ad tenuem victum & parabilem amictum pertineat? Gerunt enim tum & secum quotidie circumferunt cives rigidissimum exactorem, latrantem stomachum, qui furdas omnino habet aures. Rursus si cives divitiis & omnium rerum copia abundant, sed nulla vita & opum securitate gaudeant, quid quæso illæ profund? quum inter extrema quævis pericula vitam trahant, & horrenda Status Naturalis incommoda, quamvis in civitate degant, experiantur. Quis, quæso, non etiamnum ingemiscit veterum Tyriorum sorti sub eorum rege *Pygmalione*, qui, cum per commercia suas opes nec non Fiscum Principis insigiter quo quotannis augerent, sua tamen solertia id tantum efficerunt, ut in Regis avari invidiam inciderent; adeo ut hic continuas meditaretur cædes, quo temere occisorum bona sibi vindicare posset. Denique si cives & opibus gaudeant & de securitate in sinu sibi gratulari que-

queant, sed justam desiderent libertatem, illis non multo sunt feliores, qui aureis detinentur compedibus; quibus asperitatem fortis captivorum mitigari & cohonestari, credidisse videntur veteres. Quare in nostram sententiam egregie sic dicerit Quicdam ex nostratibus: Kunungår ma syra land ek almega/ sva at han hawi helver fri Eudi et Mannon heder ek gagn ek glädi ek hans unditana mage liwa med frid ek frälse och fänijs inbyrdis/ id est: *Ex ita regnum & cives reget, ut ipse apud Deum & homines consequatur ex eo honorem, utilitatem & voluptatem, civesque ipsius vivant in pace, tranquillitate & mutua concordia* (a).

(a) Vid. Kununga och Höfdinga Styrisse p. m. 29,

### §. III.

Sicut externa rei species ab interna ejusdem constitutione non raro differt; ita quoque felicitas, quam modo descripsimus, ita discrepat ab alia, ut haec cum vera nihil, praeter solam speciem, commune habeat. Haec igitur est illa, quam Personatam nos nuncupamus felicitatem & quae absolvitur variis momentis, quæ primum quidem intuitu ad almæ felicitatis portum nos deducere videntur, quum tamen ab eodem nos revera abducant. Quocirca notamus, quod, cum multorum hominum hoc commune sit vitium, ut in veram rerum indolem obter tantum inquirant, adeoque magnificis earum præstigiis se in transversum rapi patientur, haud pauci dentur, qui persona-

tæ felicitati tantum statuerint pretium, ut veram præ illa sæpe neglexerint, ceu ex mox dicendis ad fatim patebit. Antequam vero cymbam meam a littore solvam, Tuam C. L. benevolentiam enixe mihi expeto, velis juveniles hosce atque innoxios labores meliorem in partem interpretari. Quo Tuo favore fretus ingenue fatebor, verum esse illud Poëta:

*Nobilitare potest nostram Tua Gloria Musam;  
At Tibi Musa potest addere nostra nihil.*

#### §. IV.

Siquidem non cum perfectis vivitur hominibus, uti recte observat CICERO; profecto mirum non est, quod instituta humana, etjam optima, suis nonnunquam laborent defectibus. Sicut igitur in horto, cuius singulæ areæ fragrantissimis luxuriant floribus, hinc inde tamen conspicuntur plantæ, quarum indoles generi nostro minus est benigna; ita quoque in singulis fere imperii formis aliquid personatae felicitatis invenire licet. Habet quidem *Despotismus* sua commoda, tum quod negotia quævis celeriter expediri queant, tum etjam quod imperans contra ingravescentes forte hostium impetus subditorum vires ac studia valide conjungere & motus internos, si qui existant, graviter plerumque reprimere queat. Attamen quum omnia non tantum sub imperio, sed etiam sub dominio Despotæ sint constituta, securitatis internæ pars, quæ absolvitur tranquilla vitæ ac bonorum, legitime partorum, possessione, hic sæpe

pe est exigua; siquidem imperans & ejus ministri  
 præcipui plurima sibi impune adserere possint. Hinc  
 DE MONTESQUIEU Despotismum ita describit: *Quand  
 les Sauvages de la Louisiane veulent avoir du fruit, ils  
 coupent l' arbre au pied, & cueillent le fruit. Voila  
 le Gouvernement Despotique* (a). Quod ad libertatem in  
 Despotis attinet imperiis, ipsa nulla fere est, quum  
 heic non tam cives quam devota reperiantur man-  
 cipia. Quantumvis igitur grandia & firma videan-  
 tur Despotica imperia, specie tamen magis, quam  
 re ipsa sunt felicia. Sicut porro in Monarchia obti-  
 nent Leges Fundamentales; ita non diffitendum, quin  
 melior heic sit civium conditio, quam in imperio  
 Despotico. Attamen quum leges modo memoratæ  
 sint plerumque & paucæ & nimis generales, certe  
 nisi Monarcha probus ac salutis publicæ studiosus  
 ex suopte fuerit ingenio, multum personatæ felici-  
 tatis hic erit. Non heic de plena bonorum securi-  
 tate sibi gratulari semper possunt incolæ; quum e-  
 nim Princeps pro arbitrio tributa civibus imponere  
 queat, tantas colligere potest pecuniarum summas,  
 ut civium bona exhauriat. Esto autem, quod reli-  
 gioni sibi ducat, cives vexare; vix tamen impedi-  
 re potest, quin avaris exactorum & Ministrorum  
 manibus inter computandum multum adhæreat, præ-  
 fertim si imperium paullo vastius fuerit. Deinde  
 quum illustriora quævis munera solus Monarcha,  
 prout ipsi videatur, distribuat, omnes, quorum præ-  
 cordia emergendi studium coquit, ad aulam se con-  
 ferre coguntur, Principis gratiam aucupaturi; cui  
 stu-

Studio intenti bona sua admodum dissipant, quæ ja-  
ctura sine reliquorum civium dispendio raro resar-  
citur. Hinc metuant Principem, metuant etjam Mi-  
nistros ejus, unde parum libertatis, commoditatis  
fere nihil heic reperitur. Adde, quod in Monarchiis  
potius in censum veniant grandia facta, quam pla-  
cidæ virtutes, quippe quæ invidiam magis quam hono-  
res suis conciliant cultoribus; quare etjam hæ præ-  
ter meritum algent, & proinde felicitas civilis heic  
minus erit solida. Aristocratiæ diversas esse species,  
notum est, ex quibus nos tantum considerahimus,  
*Successivam & Electivam.* In illa quum non per  
meritorum in rempublicam gradus, sed per natales  
discernantur Optimates, satis appareat, quod guber-  
naculo Imperii tales subinde præficiantur, qui nulla  
fere prudentia aut rerum experientia pollut; ex  
quibus proinde aptissima consilia frustra exspectan-  
tur. Secus se res habet in Aristocracia Electiva, u-  
bi illi per communia suffragia ceteris in admini-  
strando imperio præferuntur, qui virtutibus ac me-  
ritis eminent. Enimvero quum in Aristocratiis ple-  
rumque contingat, ut Optimates haud satis esse pu-  
tent, sententiam suam in Senatu proposuisse, sed  
quisque suam ceteris prævalere anxie cupiat, non  
potest non dissensus existere, mora gravissimis nocti  
negotiis, & arcana consilia inter crebras & animo-  
sas ventilationes in vulgus emanare; quomodo cal-  
culi publici immane quantum turbantur. Quid? Quod  
in Aristocratiis late pateant patrocinia, & proinde ho-  
nores & præmia non semper optime meritis, sed Opti-  
matis

matis cuiusdam clientibus, qualescumque illi fuerint, conferantur. Taceo, quod vitia Procerum, quum commode puniri nequeant, per vitalia civitatis descendant & publicam felicitatem s<sup>e</sup>pe turbent. Denique quamvis Democratia multis modis commendanda videatur, attamen si puram Democratiam & omnes æqualibus frui juribus p<sup>o</sup>namus, quæ, quæso, hinc existeret confusio? Quam s<sup>e</sup>pe summa imis miscerentur? Certe non dissimilis foret respublica Statui Anarchico, ubi nemo parere, omnes imperare volunt. Præterea quum in Democratia non ponderentur, sed numerentur rationes, nec magis valeat prudentissimi exactum judicium, quam alterius cuiusvis, etiam qui ultra crepidam non sapit, libera optio, vix erit sperandum, quod optima consilia semper executioni dentur. Si factiones etiam in civitate hac subinde gliscant, tanto latius serpent, quod nullus heic sit *Hercules*, qui hanc hydram in ipsa herba reprimere valeat. Putatur quidem tam Aristocracia quam Democratia esse ex sua indole sanctuarium veluti virtutum; docet tamen Historia, quod *ostracismo* s<sup>e</sup>pe multati fuerint, qui virtutibus præ ceteris eminuerunt, adeoque dignissimi fuerunt, qui & libertate & honoribus in sua fruerentur patria: ut alia incomoda, quæ Democratia cum Aristocracia habet communia, sicco prætereamus pede. Sicut igitur regulares, uti dici sverunt, imperii formæ suis laborant incommodis; ita quisque facile animadvertisit, quod ad veram civium felicitatem apprime conducat forma regiminis prudenter mixta, sive ex omnibus ita temperata, ut quod in singulis optimum est retineat.

neatur, atque incommodis illarum, quantum fieri potest, obex ponatur, & earum defectui subveniatur.

(a) Vid. *L' Esprit des Loix*, Tom. I, p. m. 103.

§. V.

Nihil fere est, in quod homines tanto studio tan-  
taque animorum contentione feruntur, nihil etiam est,  
quod amissum tantopere desiderant, quam aliam lib-  
ertatem. Quid enim, quæso, aliud est, propter quod  
Statum Naturalem adeo commendant, ut sola hujus  
recordatio salivam illis movere videatur, quam quod  
omnes in hoc plena gavisi sint libertate, quam qui  
possident, nihil admodum desiderare purantur. Libe-  
ratatem vero in genere definire solent Eruditi per fa-  
cultatem prævia consultatione se ad aliquid sponte sua  
determinandi; adeoque ipsa in eo potissimum se ex-  
serit, quod homines motiva agendi non ab aliorum  
decretis, sed a seipsis sumant, ideoque actiones quas-  
vis & externa momenta ita disponere queant, ut ad  
suam utilitatem ac commoditatem, tamquam radii ad  
centrum, convergant. Quum autem eximio hocce  
Divinæ indulgentiæ munere sæpius abuterentur mor-  
tales sibi relicti; consultum ipsis visum fuit, libertatem in  
Statu Civili certis, sicut in antecedentibus dictum  
fuit, limitibus circumscribere; quare etiam orta fuit  
distinctio inter libertatem moralem, cuius ideam mo-  
do exhibuimus, & Politicam. Hanc autem in eo con-  
sistere arbitramur, quod singuli cives plena vitæ, con-  
ditionis atque bonorum securitate gaudeant, quamdiu  
pro-

probris legibus fere convenienter gerant. Vel ut illustr. MONTESQUIEU loquitur: *La Liberté Politique ne consiste point à faire ce que l'on veut. Dans un Etat, c'est-à-dire, dans une société où il y a des loix, la Liberté ne peut consister qu'à pouvoir faire ce que l'on doit vouloir, & à n'être point contraint de faire ce que l'on ne doit pas vouloir* (a). Quocirca statim notamus, quod cum in Stato Democratico omnia ad primam spectare videantur æ qualitatem, multi quoque credant, formam Regiminis Democraticam esse liberrimam. Verum hi fere sunt, qui potentiam populi cum ejusdem libertate præ propere confundant. Quare etiam prudentiores huic formæ merito prætulerunt genus imperii temperatum, ut liberius; in quo tamen libertas sobrie est servanda, ne beneficam suam indolem amittat. Audiamus rursus illustr. MONTESQUIEU ita dissenserem: *La Liberté n'est pas toujours dans les Etats Modérés. Ille n'y est, que lorsqu'on n'abuse pas du pouvoir; mais c'est une expérience éternelle, que tout homme qui a du pouvoir est porté à en abuser, il va jusqu'à ce qu'il trouve des limites. Qui le dirait! La vertu même a besoin de limites* (b). Sæpe igitur contingit, ut libertas civilis exadat personata, & ut cives post mutatum imperium ab uno impotenter gestum, non tam conditionem suam emendaverint, quam nomen formæ imperii in jucundius mutaverint. Exempla hujus rei varia nobis subministrat Historia. Sic Romani, expulso Tarquinio Superbo & abrogata simul Regia Potestate, in plenam libertatem se adierere nitebantur; sed quum Rectore opus esset, prudentiorum

consilio introducta fuit Consularis dignitas, qua vero Regia Majestas non tam imminuta fuit, quam annua facta. Idem quoque Romani postquam Græciæ civitates subjugassent, singulis post gravissima vulnera, ipsis inficta, favum libertatis proposuerunt. Hoc autem modo & gratiam apud vietas nationes inierunt, & liberas ipsas pronuntiantes ita vires earum & disjunixerunt & sensim fregerunt, ut de umbra tantum libertatis, cui nihil subesset solidi, sibi gratulari potuerint. Sicco jam pede præterimus artificia Imperatorum Romanorum, qui fictis libertatis larvis populum seduxerunt, partim falsces imperii illi submittendo, quo tantam consecuti sunt auctoritatem, quantam amisisse multitudini videbantur, partim magnificos titulos & insignia quædam ingrata recusando, partim cives in consilium de rebus minoris momenti adhibendo, se autem, velut Salaminiam triremem, ad graviora negotia reservando, quibus libertatis ac potentiae simulacris interea detinebantur Quirites, dum imperatores de summa potestate in sinu gauderent. Libertas denique civilis in imperiis Aristocraticis atque Democraticis evadit personata, quoties cives, quibus imperii administratio demandata est, consilia quævis non tam ad publicæ felicitatis rationes, quam ad privatæ utilitatis ac voluptatis decempedam exigant. Cuius rei exempla iterum nobis suppeditat Historia tam Græca, quam Romana. Siquidem populus, libertatis aura ferociens, in id strenue incubuerit, ut auctoritatem Optimatum imminueret; qui rursus, ne suis deessent partibus, populi potentiam modo reprimere, modo aliorum

liorum vertere nitebantur; ex quibus moliminibus gravissimæ subinde inter ipsa civitatis membra ortæ sunt collisiones. Immo hæ respubicæ, quæ pridem domi felices & foris potentes fuerunt, suas tamdiu invicem librarunt vires, donec easdem sensim contererent atque ipsum imperium in evanidam degeneraret Anarchiam. Atque hoc respexisse videtur MONTESQUIEU, dum ita disserit: *Il pourra arriver que la constitution sera libre, & que le citoyen ne le sera point. Le citoyen pourra être libre & la constitution ne l'être pas. Dans ces cas, la constitution sera libre de droit & non de fait: le citoyen sera libre de fait & non pas de droit (c).*

(a) Vid. L<sup>e</sup> Esprit des Loix Tom. I. p. m. 255. (b) Vid. Libr. & Tom. cit. p. 256. (c) Vid. Libr. cit. Tom. II. p. 1. & 2.

### §. VI.

Ad felicitatem civilem promovendam multum condiderre existimant nonnulli ipsam imperii molem seu quantitatem, ita quidem ut quo majora fuerint reipublicæ cuiusdam pomœria, eo etiam major felicitas in singulis subnasceretur angulis. Fateor equidem, exiguae nimis ac tenues respublicas plurimis laborare incommodis; partim enim nec tantas ipsæ comparare possunt copias, quantæ ingravescientibus forte hostium insultibus valide repellendis sufficient, quare fœderatorum sollicitare auxilia sæpius coguntur; partim etiam eas desiderant vires, quibus necessaria commoda tempore pacis sibi procurare vellent. Quatnobrem ejusmodi respublicæ haud dissimiles sunt corporibus, longa phthisi confectis; quæ nec se ipsa sustentare, nedum

egregii quid moliri valent. Quod licet ita sit, præ postere tamen argumentantur, quotquot colligunt, felicitatem civilem pro ratione aucti imperii increscere. Sicut enim ut ingentia corpora moveantur, vel una, eademque ingens, vis requiritur, vel plures magnæ & conspirantes adsint potentiae necesse est; ita etiam ut vastum contineatur & regatur imperium, omnino necessarium est, ut vel unus eidem præsit Princeps, qui tanta gaudet potestate, ut ex suo nutu & arbitrio omnia gerere queat, vel ut vasti imperii administratio inter plures distribuatur Proceres, vel ut utrumque simul fiat. In priori casu emergit despotismus, quem in amplissimis imperiis & olim viguisse & etiamnum obtainere, Historia docet; quæ simul evincit, cives ab opulentia, securitatis arque libertatis culmine fuisse remotissimos. In posterioribus autem casibus Proceres raro sese moderate gerunt, sed plerumque plus ultra tendunt, atque de primo vel honoris vel splendoris gradu acriter inter se disceptant. Esto autem, quod ambitionis resistant illecebribus, sapientia specioso obtentu vel coercendæ plebis vel felicitatis publicæ promovendæ reliquos vexant cives, in primis si ut a Jove ita etiam a fulmine fuerint remotores. Et tunc pauperes in angustiis constituantur, quum captae suæ patrocinium nuspam fere inveniant. Præterea quum magna imperia conservari nequeant sine stipendiis; necesse est, ut in grandibus imperiis magna pendantur tributa. Et licet plurimi in illis portantur, qui symbolas in ærarium conferant; majores etiam heic sunt faciendi sumptus tam in copias & earum

rum congiaria, quam in magnificentiam imperii; quare vestigalia heic non possunt non esse numerosa, præsertim belli temporibus, quæ exactores sæpe reddunt gravissima. Ulterius quo demumque modo vasta imperia fuisse orta concipiamus, sive vicinorum regiones vi & armis in formam provinciarum sint redactæ, sive per matrimonia vel hereditates aucta fuerint; certum tamen est, tum quod novæ gentes hanc mutationem minus æquo ferant animo, tum etiam quod vicini populi hanc crescentem nimis potentiam non aliter adspiciant, quam ingentem columnam, quæ subitam illis minitatur ruinam. Quare tam illi in pristinum se adserere statum nituntur, quam hi nullam prætermittunt occasionem, qua vœgrandem illam potentiam si non aperto Marte, attamen per cuniculos, imminuere ac subvertere possint. Ut reticeam, quod gravissima vitia in vasta imperia catervatim irrumpant, quæ, tamquam exitiosa gangræna, felicitatem civilem depascuntur. Quæ a nobis in medium jam fuerunt allata satis confirmat veritatis testis, Historia. Neminem enim fugit, quod ALEXANDER M. ille fortunæ filius, post Græciæ, in qua educatus erat, servitutem, plurimas easdemque opulentissimas Asiæ gentes sibi subjecerit, atque in unum regnum multa regna conjecerit. Sed quam felix fuerit militum conditio post tot egregia facta nomine reliquorum fatetur COENUS: intuere, alloquitur ALEXANDRUM M. corpora nostra exsangvia, tot perfossa vulneribus, tot cicatricibus putrida. Jam tela beberia sunt, jam arma deficiunt. Omnium victores,

omni-

nnium inopes sumus. Nec luxuria laboramus, sed bello (a). Idem paullo post in ætatis flore, in medio rerum suarum cursu extinctus, regnum reliquit incompositum, id est Matri, Uxori, Liberisque perniciem & amicis horumque stirpi perpetuam digrediandi & inusitatis sceleribus in se invicem sœvendi materiam. Si ex Asia in Hesperiam transfretamus, deprehendimus quod & fortuna & virtutes Romanos pœne destituerint, postquam imperium horum maxime fuit auctum, adeo ut hoc deinceps ex sua etiam laboraverit magnitudine. Quamobrem etiam SCIPIO, teste VALERIO MAXIMO, Deos immortales potius orandos esse censuit, ut Populi Romani res perpetuo servarent incolumes, quam ut meliores easdem amplioresque facerent. Immo in publicis tabulis solemnem precationis formulam in hunc sensum emendari jussit (b); quasi jam tum prævidisset Patriam, in CLAUDIANO Poëta ita ingemiscentem:

- - - - Heu prospera fata!  
*Quid mihi septenos montes, turbamque dedistis,  
 Quæ parvo non posset ali? Felicior essem  
 Angustis opibus. Mallem tolerare Sabinos  
 Et Veios: brevior duxi securius ævum.  
 Ipsa nocet moles. Utinam remeare liceret  
 Ad veteres fines, & mœnia pauperis Anci!  
 Sufficerent Hetrusca mihi, Campanaque culta,  
 Et Quinctii Curiisque seges, Patriæque petenti  
 Rusticus & proprias ferret Dicator aristas (c).*

Ne

Ne autem antiqua solummodo exempla producamus, agedum recentia, quum præsto sint, adferemus, quæ etiam evineunt, quod per aucta imperia non admidum creverit felicitas civilis. Sunt scilicet in Europa nonnulli Principes, qui regnorum suorum pomœria, vindicatis sibi Americæ ingentibus provinciis, auxerunt, quas cum avitis imperiis per densas classes conjunxerunt. Videamus vero qualis ita facta sit Europæ facies, quam in hunc modum delineat acutissimus MONTESQUIEU: *Une maladie nouvelle s'est répandue en Europe; elle a saisi nos Princes & leur fait entretenir un nombre désordonné de troupes. Elle a ses redoublemens, & elle devient nécessairement contagieuse.* - - - Chaque Monarque tient sur pied toutes les armées qu'il pourroit avoir, si ses peuples étoient en danger d'être exterminés; & on nomme paix cet état d'effort de tous contre tous. Aussi l'Europe est elle si ruinée, que les particuliers, qui se roient dans la situation où sont les trois puissances de cette partie du Monde les plus opulentes, n'auroient pas de quoi vivre. Nous sommes pauvres avec les richesses & le commerce de tout l'Univers; & bientôt à force d'avoir des Soldats, nous n'aurons plus que des Soldats, & nous serons comme des Tartares (d).

(a) Vid. CURTII *Histor.* Lib. IX. Cap. 3. §. 10. II. (b)Vid. *Libr. p. m. 35.* (c) *De Bello Gildonico v. 104. seq.* (d) Vid.*L'Esprit des Loix, Tom. II, p. m. 59.*

## §. VII.

Ad felicitatem civilem plurimum conferre præsertim antiquissimis temporibus crediderunt multi ipsam *Gloriam*, quam Natio quæcunque ex rebus in bello fortiter ac feliciter gestis sibi comparaverat. Quisque igitur facile animadvertisit, quod ut actiones Heroicæ tunc maxime in censum venerint, ita per gloriam intellexerint veteres rumorem grandium facinorum, late se diffundentem. Quid? Quod gloria isthæc privatæ etiam domus non decus solummodo, sed etiam fulcrum putaretur. Cujus quidem opinionis lepidum exemplum Quidam ex recentioribus nobis tradidit: *A la mort d'un Chevalier, qui s'etoit distingué par son intégrité, son desinteressement, & des actions d'éclat, les plus grands Seigneurs, les Rois même ambitionnoient d'avoir son épée ou son Cheval de bataille. Le Duc d'Orléans, frere de CHARLES VI fit demander celle de JEAN DE BEAUMONT, Chevalier Breton. Il offrit en même tems de donner à la fille de ce vaillant homme une dot assez considerable. Elle se trouvoit absolument sans bien. GUILLAUME DE ROSNIVINEN l'épousa, refusa la dot & garda l'épée (a).* Fateor omnino, quod gloria plerumque sit virtutis comes, & proinde quod sicut virtutis ita gloriæ præmium nonnunquam sit felicitas: fateor etiam, quod multi Principes egregiis facinoribus tantam sibi gloriam & fortitudinis opinionem acquisiverint, ut sola nominis celebritate adventantes hostes in fugam conjecerint, & pericula

cula quævis tam a suis, quam a Sociorum terris  
 opportune averterint; interim tamen isthæc gloria,  
 quanta demumcunque illa fuerit, genuinam ac per-  
 petuam felicitatem nemini adhuc dedit. Redeunt  
 quidem interdum Duces ac milites ex præliis, spo-  
 liis opimis graves, sed secum ferunt profunda vul-  
 nera, hiulcas cicatrices fractamque valetudinem;  
 vel si Argyraspides etiam fuerint, inveniunt tamen  
 patriam viris fere exhaustam, agrosque defectu co-  
 lonorum passim neglectos, adeo ut inter adreas &  
 laudes latrantem sæpe ferant stomachum, & omni  
 commodorum præsidio penitus sint destituti. Haud  
 opus est, ut ad alias gentes excurramus, exempla  
 sententiam nostram confirmantia impetraturi, quum  
 luculentissima in nostra occurrant Patria. Sub CA-  
 ROLIS enim nostris vel solum Svecorum nomen  
 tantum terrorem ferociissimis injecit gentibus, ut  
 fortuna ipsa non sequi, sed ducere videretur no-  
 stras cohortes. Sed quam longe abfuerint Majores  
 nostri a veræ felicitatis civilis cu'mine, quum in-  
 gentia civium agmina dulces relinquere penates  
 quotannis cogerentur, ut gloriam fortissimorum Re-  
 gum promoverent, quisque etiam sine Oedippo con-  
 jicere potest. Certe quæ tunc Patria accepit vulne-  
 ra cicatricem nondum penitus obduxerunt. Hæc  
 tamen non eo sunt trahenda, quasi nos existime-  
 mus, gloriam Nationis esse negligendam, quum  
 eandem esse utilissimam judicemus. *La Gloire d'u-  
 ne nation, inquit VATTEL, est ce brillant avan-  
 ge, qui lui attire la considération des autres peuples,*

qui la rend respectable à ses voisins. Une Nation dont la réputation est bien établie & principalement celle dont la gloire est éclatante, se voit recherchée de tous les Souverains: ils désirent son amitié & craignent de l'offenser: ses amis & ceux qui souhaitent de le dévenir, favorisent ses entreprises & ses envieux n'osent manifester leur mauvaise volonté (b).

(a) Vid. *Essais sur Paris Tom. III.* (b) Vid. *Droit des Gens Tom. I. p. m. 76.*

### §. VIII.

Sicut ad firmitatem & agilitatem corporis animalis plurimum conferunt nervi; ita quoque ad robur imperii & felicitatem singulorum civium haud parum conducere censentur pecuniæ, quæ proinde nervi rerum gerendarum haud immerito salutantur. Id quod verum est sive homines tempore belli sive pacis consideremus. Sicut enim in illo vi summa omnia geruntur; ita ad felicem belli exitum haud parum conferunt pecuniæ: quibus deficientibus omnia langvent torquentque, multæ occasionses bene inceptæ intermittuntur & omittuntur, exercitus ab hostibus ad incitas rediguntur, vel mandata Ducum contemnentes sponte sua dilabuntur, vel denique tumultuantes in ipsos imperantes mucrones strungunt. Immo magis regit, quam regitur miles, si stipendia d'sint, quæ nexus sunt & stimuli, quibus ad molestias quasvis sponte devorandas properat. Pacem omnes quidem poscimus, sed si civitas opibus

bus fuerit exhausta, miseria & squalore consumitur populus, quantumvis dulcia tranquillitatis somnia vel ex devictis terris, vel ex parta gloria sibi fingat. Nihil enim miserius est Principe, qui mendicis imperat, *som är Stafkarla Konunger*, sicut emphatice loquitur paretus noster Politicus (a). Attamen nubem pro Junone & personatam felicitatem pro vera amplectuntur, quotquot existiment, grandes auri argenteique cumulos firmissimum fundamentum felicitati civili sternere. His enim metallis nullum fere per se inest pretium, quin multo majorem utilitatem generi nostro præsent tam cuprum quam ferrum, sed signa tantum sunt aliarum rerum utilium, valoremque ab impositione hominum derivant. Ponamus igitur per detectas in aliqua terra metallifodinas copiam auri & argenti duplo increvisse, pretia quoque mercium & operum duplo majora evident; quo quidem in casu annum lucrum civium numerosius forte, non autem multo majus erit, quam ante. Aucta tamen auri & argenti vis facit, ut circulatio pecuniarum non sine insigni civium emolumento promoveatur. At si opum abundantia horrorem laborum atque negligentiam artium quarumvis producat, quod interdum fieri solet, exteri occasioni invigilantes tam per merces necessarias, quam per res ludicas grandes pecuniarum summas ab opulentis & fastuosis emungunt possessoribus; atque ita dives illa regio nimia opum copia fensim vel ad inopiam vel ad squalidam redigitur magnificentiam, civesque extra

orbitam felicitatis rapiuntur, intra quam vel sero vel nunquam revertuntur. Juvat rursus exempla, sententiam nostram confirmantia, in medium proferre. Post detectos Indiæ Occidentalis thesauros tantam auri argentique vim sibi compararunt Hispani, ut his metallis pæne luxuriari viderentur. Sed insuetæ hæ opes non tantum profuerunt Hispanis, quantum suæ metallifodinæ juvarunt Germanos. Hæ enim in Germania & Hungaria augent civium industriam ac promovent artes & agriculturam, quas in Hispania sufflaminant copiosæ mineralæ Mexicenses & Peruvianæ. Immo frequentia cum Indis instituta commercia non tam Hispanis, quam aliis profunt nationibus. Bene igitur & ad præsens negotium apposite ita ratiocinatur MONTESQUIEU: *C'est une mauvaise espece de richesse qu'un tribut d'accident & qui ne dépend pas de l'industrie de la Nation, du nombre de ses habitans, ni de la culture de ses terres. Le Roi d'Espagne, qui reçoit de grandes sommes de sa douane de Cadix, n'est à cet égard qu'un particulier très riche dans un état très pauvre. Tout se passe des étrangers à lui, sans que ses sujets y prennent presque de part: ce commerce est indépendant de la bonne & de la mauvaise fortune de son royaume (b).*

(a) Vid. Konunga och Höfdinga Styrsse Sect. IV. S. 9.

(b) Vid. L'Esprit des Loix Tom. II. p. m. 322.

### §. IX.

Quemadmodum ad familiam bene constituerendam non solum requiruntur justi reditus, sed im-

pri-

primis ut hi ita administrentur, ne quis a fructu  
& præmiis pro ratione meritorum excludatur; ita  
quoque in felici republica opus est, ut facultates  
non admodum inæqualiter inter cives distribuantur,  
& ut stipendia laboribus sint proportionata. Ex  
quo statim apparet, quid sentierendum sit de *lucro*  
ita dicto *nationali*, de quo rite determinando mul-  
tas recentiori præsertim ævo motas fuisse contro-  
versias, novimus. Per *lucrum* modo nominatum  
nos intelligimus incrementum quodvis innoxium  
redituum publicorum, quod obtinetur vel per artes  
manuarias dextre promotas, vel per inventas atque  
excultas metallifodinas vel denique per laudabilem  
civium parsimoniam; qua tanto opulentiores red-  
duntur cives, quo pauciores pecuniarum summas  
ad exterros deferunt, ut merces eorum sibi acqui-  
rant. Quod singula hæc momenta ad opulentiam  
& felicitatem civitatis apprime conducant, negatu-  
rum speramus neminem. Dantur tamen pingvia  
ingenia, quæ in *lucro Nationali* æstimando alia ra-  
tione calculos subducunt, & specioso hoc nomine  
suum ditescendi studium apte palliant. Atque hi fe-  
re sunt, qui sibi aliisque persuadere nituntur, in-  
genui civis esse, merces in natali solo & ab indi-  
genis fabrefactas artificibus, quantumvis magno con-  
stent pretio, potius emendas esse, quam ab exteris;  
caussam interserentes, tum quod aliter perfici ne-  
queant artes, tum etiam, quod pecuniae ad exterias  
ita non transeant nationes. Enimvero licet amore  
in patriam nemini simus secundi, fateri tamen co-  
gimur,

gimus, quod isthoe lucrum non tam Nationale,  
 quam potius privatum sit, & ad personatam felici-  
 tatem referendum. Quae enim quæso æquitas, si  
 quis ditescendi studio flagret, quod reliqui cives e-  
 jus propositum suis adjuvare debeant impensis? Et  
 quis ferret hominem ita ratiocinantem? Quocirca  
 non negamus, quin artes cum variis difficultatibus  
 ab invida turba objectis colluctari sæpe cogantur,  
 & proinde quod earum cultores tam pecunias e pu-  
 blico concessas (förlag) quam præmia desiderent;  
 interim tamen si artes sobrie nec ad vanam exer-  
 ceantur magnificentiam, officinam post aliquot an-  
 nos ex suis sustentabunt sumtibus industrii artifices,  
 nec sub variis prætextibus pecuniam quotannis ex  
 publico emungent; præsertim si illi caveant, ne ex-  
 teris vel in bonitate mercium sint inferiores, vel in  
 pretio earum multum superiores. Quid? Quod ex-  
 perientia docuerit, quod artifices nimis cito opulen-  
 ti facti ab industria ad socordiam sensim descive-  
 rint, non sine ingenti tam artium quam Patriæ  
 detimento. Insuper vel ex dictis patet, quid sta-  
 tuendum sit de Monopoliis, quæ quoad nomen i-  
 psum adeo invisa fuerunt Romanis, ut SVETONIUS  
 memoriæ prodat, Imperatorem TIBERIUM veniam  
 a Senatu petiisse, hoc vocabulo utendi. Pleraque  
 autem talia sunt, ut ad privatam magis utilitatem,  
 quam publicam felicitatem conducant; præsertim si  
 concedantur circa res, ad necessitatem vitæ perti-  
 nentes. In aliis vero casibus nonnunquam sunt  
 fructuosa. I:o Si quis proficuum quandam artem
 inve-

invenerit, cuius arcana, propositis licet præmiis, nemini prodat, nisi privilegium obtinuerit exclusivum, tum hoc ad certum concedi potest tempus. Alter casus est, quando officina ingentes requirit pecuniarum summas, quales præter vel Principem vel societatem civium opulentiorum nemo præstare potest. Sed de hisce privilegiis jam pluribus differere instituti ratio non permittit.

## §. X.

Satis diu per orbem invaluerat popularis ille error, quod opicia quævis essent sordida, minimeque Viro illustri digna; cuius opinionis rationem arcessunt nonnulli ex duro & umbratili vitæ genere, cui adseverant opifices. Sed quid quæso arte imperatoria laboriosius? Quid Judiciaria magis umbratile aut sedentarium? Quid tamen utraque in omni civitate utilius aut nobilius esse potest? Contra ea igitur existimant alii, quod opifices a consilio, ab imperiis, ab honoribus sint semovendi, quod animi generosi vim ac robur mercede conducti plerumque amittant. Quæ tamen ratio non omne tulit punctum; quare etiam artibus suus nunc redditus est honos, sua constat dignitas. Per artes enim ea sibi comparant homines, quæ vel ad necessitatem vel ad commoditatem & ornamentum hujus vitæ pertinent. Quocirca observamus, quod in necessarias artes primum incubuerint mortales, si quidem prius de eo fuerint solliciti, ut viverent,

D

dein

dein vero ut bene ac commode viverent. Hinc agriculturam, horticulturam aliasque Oeconomiae partes generi humano fere coævas reperimus & in deliciis habitas, adeo ut præstantissimi viri curule ebur aliquantisper reliquerint, & sumosa rusticorum mapalia subierint, partim ut artes tam proficuas suis exemplis atque inventis juvarent, partim ut urbanas curas inter Floræ & Faunæ innoxias voluptates obliviscerentur. Rerum necessiarum copia in generavit earum possessoribus studium commoditatis, ad quam obtinendam ac perficiendam variae successu temporis inventæ sunt artes. Sed fatendum omnino est, quod hæ, nisi sobrie tractentur, benignam suam indolem sensim amittant, & ad personam tantum felicitatem latam sternant viam. Ponamus enim, imperium quoddam amplis gaudere terris, sed paucioribus incolis, quam ut illis excœlēdis sufficerent; ponamus insuper, quod nec hintantem ex suo solo colligant messem, quanta ad illos sustentandos requiratur; tunc si magnæ colonorum parti sordeant rustica opera & ipsi in urbes commigrent, ut illas excolant artes, quæ ad commoditatem & ornamentum vitæ spectant, artes necessariae defectu cultorum sensim languescent, adeoque illis crescentibus rura, quæ promi condit sent veræ opulentia, quotannis decrescent. Laudatur admodum COLBERTUS a Politicis, quod indoli Gallorum, in vanitatem propendenti, se se non opposuerit, quin potius illam apte direxerit ad eas artes, quæ genio popularium essent convenientissimæ;

quo

quo quidem consilio non solum Patriæ suæ reditus insigniter auxit, verum tacitum quoddam imperium in alias extenderit nationes, tanto firmius, quanto magis esset voluntarium. Enimvero qui hæc instituta cum successu imitari gestit, ea omnia conjunget, quæ pridem conjunxit COLBERTUS. Discipiet igitur Minister status, an artes, quarum introductionem meditatur, genio civium apprime convenient, an continua alacritatis in illis excolendis fomenta ipsis suggestere queat, an regio populis sati abundet, adeo ut si plura hominum millia in urbes se conferant, rura tamen hanc jacturam vix sentiant, & denique an rudes, ut dici sverunt, materiæ ex propriis obtineantur terris, an vero ab exteris care sint redimenda. Si duo hæc posteriora momenta desiderentur, non quidem negligenda sunt opificia, sed tale æquilibrium inter agriculturam & artes manuarias constituendum, ut hæc auxiliatrices sibi invicem porrigan manus, nec artes unquam in detrimentum vitæ rusticæ prævaleant. Immo omnes artes, quibus non promovetur opulentia & numerus incolarum nec non pecuniarum circulatio, minus prosunt Republicæ; cum quantum profint quibusdam civibus, tantum ad reliquorum detrimentum conferant. His jam allatis cautelam quandam Politicam addimus circa ipsas Machinas, quarum in artibus frequentissimus est usus. Quod si quis igitur Machinam inveniat, ejus ope, accedente ministerio decem hominum, parem mercium quantitatem pari tempore confiscere potest,  
quan-

quantam sine illa elaborarunt antea centum; talis  
 Machina in terris, quæ civibus abundat, non est  
 ferenda, nec in ceteris minus populosis regionibus nisi  
 circa opificiorum initia, non autem postquam con-  
 stituta fuerunt, nisi deficiant opifices; tum quod  
 nonaginta hominibus, qui agriculturæ plerumque  
 sunt inepti, victus & amictus ita subtrahatur, tum  
 etiam quod possessores officinarum, pretio mercium  
 eodem manente, nimis magnum percipient lucrum.  
 Quorum utroque efficitur, ut multi industriae cives  
 vel ad mendicitatem redigantur, vel in alie-  
 nis terris vitam sustentandi adminicula  
 querere cogantur.

S. D. G.

